

Absalon præcepit : *Servate mihi puerum Absalon, q. d. ideo servate et ne occidite illum, quia puer est ex ignorantia in me peccans, sapiet suo tempore, si vixerit, ut docet S. Aug. l. III. de doct. christ. c. XXI. Et ideo tam dolenter accepit ejus mortem, tamque acerbe planxit, quia nimirum merito timebat ne in æternum periisset. Tamquam pius luxit eum, inquit Teodoret. q. XXVI. qui non poterat amplius curari per penitentiam.* Narrat S. Dionys. in ep. ad Themophilum, Carpum quemdam zelo percitum postulasse, ut duos, quorum alter alterum ad impium cultum abduxerat, e medio Deus tolleret et occideret. Interim Christus ei per somnium apparet et monstrat ei ingentem hiatum, in cujus ore stabant duo illi peccatores trementes. Ad hos ascendebant immanes ex hiatu serpentes, ut eos involverent ac secum traherent in barathrum, sed et ipse Carpus cum quibusdam aliis impellere eos videbatur ac dolere, quod non mox deciderent. Sed dum interea sursum aspicit, videt Christum porrigentem illis, qui cadere videbantur, dexteram et tenentem eos ac dicentem : *Feri me; jam paratus sum enim rursum hominum causa mortem perpeti.* Vides hic quam benignus et dissimilis sit nobis Deus! Quam nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat!

VI. Ut appareat Dei justitia, qua justissime damnat malos, quibus diuturnum penitentiae agendæ spatium concessit. Eo pertinet, quod Christus de sterili ficu, Luc. XIII. *Eccc tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio, succide ergo illam, q. d. satis diu expectavi, non est spes emendationis; fiat ergo justitia.*

VII. Ut appareat Dei potentia; siquidem non effugient manus ejus peccatores, etsi per aliquod tempus fruuntur voluptatibus suis; sinite eos crescere, sed quousque? Usque ad messem. Si principi alicui nunties apros aut cervos esse in proxima silva, non illico persequetur eos princeps, sed dicet : *Non effugient manus nostras, quia spatiosa est nostra terra, sinite eos crescere; suo enim tempore expandemus retia nostra et capiemus eos.* Non vidisti, opinor, aristas in agris jam demessis quæ fugerint mesorum falces? Omnes excisæ sunt a recurva et voraci falce. Non reperistis facile feras in silvis senio extinctas? Omnes in retia coguntur et venatorum manibus jugulantur. Pari modo peccatores, saltem quantum volent, non effugient manus Dei. *Expandam super eos rete meum, inquit Dominus, Os. VII. quasi volucrum cæli detrahiam eos.* Idipsum septem fratrum Macchabæorum

minimus Antiocho, cujus imperio necabatur, dicebat : *Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.* Et iterum : *Noli frustra extolli vanis spebus : nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis judicium effugisti, II. Macch. VII.* Ita Michaeli imper. Constantinopolitano in somnio, quod habuit Bardas Cæsar, dixit S. Petrus digito comminando : *Et tu, impie fili, expecta parumper, apud Baron. anno 867.* Expectat enim Deus donec peccator impleat mensuram peccatorum suorum; (neque enim amphora in puteum demissa mox subdit, sed prius paulatim aquis impletur; et tum repente mergitur) sic loquuntur venatores : *Usque ad venandi tempus. Venationis tempus, mors est. Licet peccatores millies in Deum insaniant ejusque iram provocent; omnes tamen illas injurias Deus uno ictu, uno lethali vulnere compensare potest mergendo eos ad inferos.* Eupo is mordax homo in ipsum etiam Alcibiadem principem Atheniensium mordacissimos scribere versus ausus est; quem tandem die quodam deprehensum demersit in mare dicens : *Tu me in scena sæpe mersisti Eupole; ego te semel mergam, refert Chavass. de pruden. l. II. c. VII.* Idem Deus peccatori, a quo tamdiu læsus est, aliquando dicet : *Tu me sæpe in hac mundi scena mersisti, blasphemis aliisque injuriis; ego te semel mergam, sed æternum.* Ita dicebat Hebræorum populo toties rebellanti, Exod. XXXIII. *Semel ascendam in medio tui, et delebo te.*

Quare quisquis peccator est, ne sibi blanditur de sua libertate : quisquis peccator non est, ne invideat peccatoribus libertatem et prosperitatem; sed ad finem potius attendat, etc.

## CONCIO II.

## LIBERUM ARBITRIUM CUR HOMINI COLLATUM.

I. Ad perfectionem universi. — II. Ad majorem Dei gloriam. — III. Ad hominum gloriam. — IV. Ad Dei delicias. — V. Ad hominum exercitium

## THEMA.

*Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo Unde ergo habet zizonia? Matth. XIII.*

Defenditur quidem Deus optimus maximus in hodierno evangelio, quod non sit auctor peccati, saltem directe; siquidem in agro mundi non seminavit nisi bonum semen : malum a dæmone superseminatum est. Sed si per agrum intelligamus ipsum hominem, quomodo non in eo seminavit semen malum, dum contulit ho-

mini liberum arbitrium, per quod peccare potest : ac proinde quomodo Deus non indirecte saltem peccatum seminavit? *Numquid ergo iniquitas apud Deum? Absit.* Insitum nobis a Deo est liberum arbitrium ut progignat bonorum operum triticum, tametsi alioquin ex se gignere potest et triticum et zizania. Quod si zizania profert, culpa nostra est. Quamobrem vero hoc semen libertatis ad utrumque potens, insitum nobis sit, nunc audiamus.

I. Liberum arbitrium homini datum est, ad perfectionem et ornamentum universi, necnon ipsiusmet hominis; pertinet enim ad mundi complementum, ut sit aliqua creatura dono libertatis prædita : hæc autem est homo, qui ad imaginem Dei factus, et imperator orbis constitutus, ut plenum jus utendi creaturis haberet, libertate agendi decorari debuit. Principes aliqui habent in oculis suis servos duplicis generis, alios emptos et captivos, alios ingenios sibi modo aliquo propinquos, nobiles, aulicos, barones, comites. Illis absolute imperant, velint, nolint; his vero comiter et urbane, non tam præcipiendo, quam insinuando illis voluntatem suam, quia honoratioris sunt, eique propinquoiores. Cæteris creaturis Deus præditur cum imperio, trahendo et cogendo ea, quæ ipse vult; hominem, velut earum proregem ad peragenda jussa sua comiter tantum invitare et allicere voluit, non cogere. Major autem dignitas, adeoque majus etiam beneficium est hominem relinquere sibi suæque electioni, interim eum suaviter allicere ad bonum, quam vi impellere. Certe si Romanorum imperator promulgaret per imperium, se velle ut integra aliqua natio veniat in Austriam omni opulentia plenam, in eaque sibi sedem deligat, acceptura loco paupertatis suæ divitias, si ad hoc eam cogere vellet, injuriam ei videretur facere : secus vero, si hoc eis liberum faceret. Proponit nobis Deus et promittit in cælo sedes beatissimas, neminem tamen cogit ad eas capessendas : facit omnibus liberum. Ut vero adjuvetur homo ad quærendam salutem suam et fugiendam perniciem, injecit ei quodammodo suaves funiculos, spem et promissionem summarum divitiarum, si obediat; minas summorum suppliciorum, si non pareat; gratiam item adjuvantem, exemplum suum et sanctorum, etc. Hoc est quod dixit Deus, Ose. XI. *In funiculis Adam (id est, hominis,) traham eos in vinculis charitatis.* Chaldaeus vertit : *Sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis, q. d. nolo eos ut bestias trahere, funibus canabinis; sed ut homines, alliciendo eos una ex parte immensa gloria, ex altera terrendo*

eos æterno supplicio et confusione. Nobilius utique est hoc trahendi genus, quam illud alterum.

II. Ad majorem Dei gloriam. Hinc enim elucescit magis Dei potentia et sapientia, dum homo etiam sibi et suæ voluntati permissus Dei providentiam nequit evertere aut ordinem ejus perturbare, ut fiat aliquid contra voluntatem Dei absolutam, sed illustrat potius. Habet enim Deus homines conclusos intra suæ providentiæ terminos, sicut venator in sua venatione cervos. Hos enim undique cingit, hic retibus, ibi canibus, alibi sclopetariis, etc. ut si retia evadant, incidant in canes; si hos effugiant, incidant in grandinem sclopetorum ferream, etc. Ita nemo etiam suo arbitrio relictus, Dei manus effugere potest : si enim fugiat Dei misericordiam, incidet in ejus justitiam. Vult quidem Deus, et instantanter monet ut omnes homines veniant ad sinum clementiæ ejus : quia tamen multi eum spernunt, excipiuntur a Dei justitia, ut ita Deus appareat, non tantum clemens, sed et justus. Julius II. pontifex fecit aliquando depingi judicium extremum a Michaele Angelo celeberrimo pictore. Hic cum episcopis et cardinalibus parum faveret, aliquos eorum penicillo suo in inferno collocavit. Pontifex hoc advertit, sed ne pictorem in transversum ageret, adeoque opus impediret, rem dissimulavit, donec opus perfectum esset, illud secum cogitans : *Modo finiat opus, sentiet mox in carcere, quod in odium præsulum pinxit.* Idem agit Deus. Vult quidem nos æternitati et accurate pingere, in emolumentum nostrum, non in damnum vel contemptum cujusquam. Tametsi vero plurimi multa impertinentia, imo tæda, noxia et injuria sibi et aliis pingunt; patienter tolerat Deus, ut opus providentiæ suæ ex bonis et malis hominum operibus concinnatum pulchrius appareat. Tandem vero in judicio victuram totam ostendet et quod quisque pinxit, pro meritis compensabit. Ita fiet ut Dei providentia, sapientia, potentia, bonitas et justitia clarissime pateant, quæ alioquin latuissent. Patebit Deum sibi sufficientem esse nec indigere suis creaturis. Patebit Dei bonitatem, clementiam et misericordiam, qui peccatores resipiscentes tam benigne recepit; Dei charitatem et liberalitatem, qui ad eos convertendos tanta fecit; Dei patientiam, qui eosdem delinquentes tamdiu sustinuit et ad penitentiam expectavit; Dei sapientiam, qui e peccatis hominum tanta bona elicuit : velut ex Adami peccato tanta stratagemata et mira sanctorum opera, quibus eluctati sunt ex inferno ad cælum, de exilio in patriam, e miseriis in pristinam felicitatem; Dei justitiam, qui pertinaces et refractarios meritis tandem pœnis mulctabit.

Quæ omnia alioqui sepulta essent, nisi homo ad utrumque liber factus esset.

III. Ad hominum ipsorum gloriam; majus enim absque dubio est, si homines sua industria gloriam consequantur, quam si omnino gratis et nullo prorsus merito: illud enim laudem meretur, non istud. Unde S. Bernard. in tract. de gratia et libero arbitrio ait: *Datum est homini posse peccare, non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret si non peccaret, cum peccare posset.* Sic princeps vel pontifex dat alicui gladium, non ut eo abutatur ad homicidia, sed ut hostium et barbarorum excidio gloriam inde sibi acquirat. Hinc Ecclesiastici cap. XXXI. laudatur dives, qui acceptis a Deo divitiis ad suas delicias et voluptates abuti potuit, et non est abusus, sed bene potius usus ad eleemosynas pauperum. *Beatus dives, inquit, qui inventus est sine macula.* Et mox: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino* (glossa interlinearis exponit: Conservata ad remunerationem) et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. Et hinc augetur multo maxime gaudium justorum quando vident se suis manibus, suaque industria gloriam sibi promeruisse. Quo tendunt verba Isaiaë, cap. IX. de apostolorum prædicatione prophetantis: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando dividunt spolia.* Quantum enim gaudium erit apostolorum in cælo, cum aspiciant copiosam messem, quam prædicationis suæ falce Christo lucrifecerunt? Cum intuebuntur prædam tot pugnis et laboribus suis partam? Exultant et gloriantur agricolæ, cum ipsorum agri bene et industrie excolti uberiorem messem ferunt, sic etiam et apostoli et alii doctores. Isti sunt filii mei, dicent, quos genui Domino meo Christo. Ita S. Paulus Philippenses, quos ad Christum converterat, vocat *gaudium suum et coronam suam*, Philip. IV. et ad Philemonem, virum nobilem Colossensem scribens, commendat et reconciliat illi servum ejus, fugitivum olim et infidelem, hoc nomine, quod genuerit eum Christo in vinculis: *Obsecro te pro filio meo, inquit, quem genui in vinculis, Onesimo.* Quanta hæc Pauli gloria, genuisse Christo in vinculis servum furem et fugitivum, mutasseque in virum optimum, *utilem et fidelem ministrum?* Coloss. IV. Ita S. Amandus moriens et ad cælum conscendens apparuit B. Aldegundi absenti et oranti, augusta specie cinctus corona albatorum: cumque illa perconctaretur, quis ille esset reverendus, in quem albat omnes respicerent, ab angelo audit: « Hic est amabilis Deo Amandus, qui a sæ-

culo migrat ad cælum stipatus sanctis animabus, quas verbo et exemplo ad omnem virtutem instituit, ac proinde ab eis quasi pater colitur, et cum eis ad gaudia Domini tam gloriosus ascendit. » Testis est auctor vitæ S. Gisleni, cap. II. et auctor vitæ S. Aldegundis, cap. XVII.

Si parentes naturales lætantur cum aspiciunt coronam liberorum a se genitorum, multo magis parentes spirituales, qui sua industria et labore filios in æternum victuros cælo genuerunt, lætabuntur cum aspiciunt numerum filiorum suorum. Porro nisi liberum arbitrium foret, gaudium hoc rueret, nec majus esse posset, quam sit gaudium parentum naturalium, cum aspiciunt liberos suos, non ex virtute, sed ex natura genitos.

IV. Ad delicias, ut sic dicam, et delectationem Dei; ut in creaturis suis liberis sibi potissimum complaceret. Complacuit sibi in creaturis illis, quæ aguntur necessitate; nam creato mundo vidit singula quæ fecerat, deprehendit ea bona esse. Sed cum vidit simul omnia post creatum hominem, deprehendit ea valde bona, id est, longe meliora et pulchriora propter hominem Dei imagine insignitum. Unde de homine longe aliter quam de creaturis cæteris loquitur, Proverb.

VIII. *Ludens in orbe terrarum, inquit, et deliciae meae esse cum filiis hominum.* Quamobrem, nisi quia hi voluntarie agunt, Deo obedientiam, cultum, laudem impertiunt; cæteræ vero creaturæ aguntur potius et coactæ Deo serviunt? Jam vero quis nescit longe acceptiora et jucundiora esse obsequia gratuita, quam coacta? Quando liberi parentibus ultro manum osculo decoratam porrigunt, aliave obsequia exhibent, quam cum id jussi faciunt? Delectat nos arcana vis nature, verbi gratia, cum magnete præeunte ferrum quaquaversum trahimus, acieulas multas supra chartam positas eodem duce modo in pedes erigimus, velut aciem hastatorum, modo prosternimus, modo in saltum cogimus, modo in altum trahimus: quod si manu admota faceremus, nequaquam delectaremur. Pari ratione Deus utique sibi per placet, cum voluntates hominum miro et arcano modo, nulla adhibita vi, sed suavibus tantum mediis, inspirationibus, consiliis, exemplis, beneficiis, promissionibus, minis, etc. ad se trahere et juxta placitum suum, quo vult, movere solet. Delectant nos animalia illa, quæ nostros imitantur mores et gestus, ad eosque effingendos erudiri se patiuntur, velut simiæ, canes, psittaci, etc. Scribit Ambrosius, pareg. libro I. de animalibus, in opere suo chirurgico, vidisse se in ædibus ducis Somei, simiam ita ad omnia factam et eruditam, ut vulgo *magister Joannes fac-*

*totum* diceretur. Ad fistulam saltabat, ad palum excurrerat, per magistri crura mira se agilitate trans mittebat, fercula ad mensam ferebat, etc. Cur non delectet Deum illa ejus creatura, quæ per arbitrii libertatem se ipsius placito per omnia conformare, ipsi in omnibus servire ipsumque adeo sui modo imitari, et ad omnia Deo placita obsequia edoceri potest? Et hoc fortasse voluit S. Xystus pontifex et martyr (qui diaconum suum Laurentium ad martyrium præcessit) dicto illo suo, quod laudat S. August. I. de nat. et gratia, c. LXIV. *Deus, libertatem arbitrii sui permisit hominibus, ut pure et sine peccato viventes fiant similes Deo.* Solus enim homo per arbitrii libertatem potest se perficere, ut Deo se conformet, faciat quæcumque is vult imiteturque quæ is facit. Quod sane Deo placet, quemadmodum placet nobis, si nos simiæ imitentur. Videt enim Deus in hujusmodi hominibus veluti in speculo relucere suam gloriam et divinitatem. Primarium hujusmodi speculum extra ipsum Deum fuit Christi humanitas, de quo dixit: *Hic est Filius meus, in quo bene mihi placui.* Ad hujus speculi similitudinem quo magis accedimus ipsum imitando, eo magis Deo placemus.

V. Ad hominum exercitium, ut si velint, possint maximo suo merito reddere et quasi sacrificare Deo arbitrium suum, itaque ad peccandum quodammodo impotentes fieri. Dicunt multi: Vellem Deus abstulisset mihi libertatem ad peccandum. Sed cur tu hanc libertatem non ipse tibi adimis? Siquidem hoc facere potes cum merito; illud vero si fecisset Deus, non tuo merito fecisset. Ut enim divina mysteria voluit Deus a nobis intelligi per fidem, non per scientiam, ut cum merito nostro intelligantur; ita nos vult cum fructu abstinere ab illicitis. Sicut ergo captivam intellectum per fidem, sic captivemus voluntatem per obedientiam. Pater donat filio adhuc puero gladium, sed cupit eundem sibi a filio asservandum reddi, ut filius eum non accingat nisi juxta placitum patris. Ita nobis quidem Deus dedit libertatem, sed interim tamen petit: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*, Prov. XXIII. Decii imperatoris filius cum a patre ad imperii culmen evocaretur, renuit dicens: *Ne si iam imperator superbus, dediscam esse humilis filius.* Cur tu non simili modo resignas Deo arbitrium tuum, ne si velis imperare tuo libitu, dediscas Deo obedire? Fecit hoc ipse Dei Filius Christus, qui quodammodo ademit sibi voluntatem propriam, ut faceret voluntatem Patris. Sic enim ait Joan. VI. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Idque reipsa fecit: cessit enim voluntati suæ, quæ passionem

refugiebat, et secutus est voluntatem Patris. *Verruntamen non mea, sed tua voluntas veniat.* Ad hoc ipsum invitat omnes Lucæ IX. dicens: *Si quis vult venire post me, abneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Abnegat seipsum qui voluntatem suam sibi adimit et Deo transcribit ut jam non sit ejus dominus, nec possit divinæ voluntati contraire. Sic fecerat adolescens Joseph, qui a domina sollicitatus ad stuprum, respondit: *Quomodo possum hoc malum facere et peccare in dominum meum?* Genes. XXXIX. Quin etiam Balaam improbus alioqui, monitus a Deo: *Ne maledicas populo* (Hebræorum) *quia benedictus est, jussus postmodum a Balaac rege maledicere Hebræis, respondet ei constanter: Si dederis mihi plenam domum tuam argenti et auri, non potero præterire sermonem Domini mei*, Num. XXIV. Ecce isti dicunt, non posse se contraire Dei mandato et voluntati. Quis coegit eos? Ipsi utique semet, ipsi voluntati suæ frænum injecerunt. Ecce igitur nos non idipsam facimus? Numquid hoc non possumus? Quæro ex te, si per silvam iter facias sclopeto armatus, et cervum prope stantem forte conspicias, nonne statim dicet tibi animus tuus: Ecce tibi prædam quam facili negotio parandam! Abstines tamen et imperas tibi, ne cervum jaculo sternas, nec ad hoc faciendum induci potes etiam magnis promissionibus. Quis ita, quæso, ligavit et frænavit voluntatem tuam? Nonne ipse tu, dum cogitas pœnam statutam iis qui feras persequuntur? Rursum quam multi suat qui ob vini nimium pretium, vino se interdunt, tametsi abunde habent, unde vinum sibi comparent? Unde hoc, nisi quia absterrentur nimio vini pretio, ideoque frænant gulam suam? Possumus ergo in his et aliis voluntati nostræ frænum injicere et quodammodo libertatem adimere: cur non idem facimus, quotiescumque scimus a Deo aliquid vetitum esse et nimio constare? Nimio sane constat et gravissime a Deo vetitum est, quodvis peccatum mortiferum: non sit ergo voluntas nostra libera ad id patrandum. Quare cum præter uxorem tuam cernis aliam feminam, noli cogitare ut ea potiaris quia fera interdicta est. Si carnem diebus vetitis vel occasionem ebrietatis propositam tibi vides, fræna gulam et voluntatem tuam, quia nimie constat; gehenna videlicet. Stulto et inconsiderato mandato adjuverat Saul exercitum suum, ne gustaret aliquid usque ad noctem. Et tamen cum exercitus fame pressus mel in agris obvium cerneret, transivit eo intacto: *Nullusque applicuit manum ad os suum, timebat enim populus juramentum*, I. Reg. XIV. Similiter miles, qui vidit Absalonem e quercu pendentem, cum a duce Joab objugare-

tur, quod eum non confodisset, respondit: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequam mitterem manum meam in filium regis; audientibus enim nobis, præcepit rex tibi Abisai et Eithai dicens: Custodite mihi puerum Absalon, II. Reg. XVIII. q. d. nullo pretio adduci possum ut mandatum regie mei violem. Quare non video, auditores, quomodo coram Deo excusare nos possimus, si nostræ voluntati vim inferre nolumus, cum isti tamen intulerint, quando non de regno cælorum aut gehennæ incendio agebatur, sed de regis tantum morituri ira et indignatione. Captivemus ergo voluntates nostras in obsequium Dei, quemadmodum voluntas cœlitum captiva est in Deo, ut non possit nisi bonum velle: dicamus proinde quotidie et ferventer: *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra.**

## CONCIO III.

CONCUPISCENTIA CUR IN HOMINE REMANSERIT.

I. Ob peccatum primorum parentum. — II. Ad nos humiliandos. — III. Ad nostrum exercitium. — IV. Ad meritum nostrum. — V. Ut gratiæ efficacia pateat.

## THEMA.

*Unde ergo habet zizania? Matth. XIII.*

Quemadmodum in agro hodierni evangelii, ita et in nobis ipsis deprehendimus, auditores, pessima zizania, concupiscentiam videlicet ejusque motus inordinatos seu passionem inde prædominantes, quæ non solum fœdant et dehonestant animum nostrum, verum etiam multoties suffocant, vel ad terram trahunt triticum optimorum desideriorum et propositorum. De hoc enim queritur Sanctus Paulus ad Roman. VII. dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Unde ergo in nobis? In quibus utique Deus, (qui omnia fecit bona) non nisi bonum seminavit semen, unde hæc zizania? Nimirum inimicus homo hoc fecit. Inimicus, inquam, et homo. Inimicus quidem diabolus, qui suggestit primis parentibus divinæ legis prævaricationem, homo vero Adam, qui consentit suggerenti dæmoni. Hinc orta illa zizania, hinc illa concupiscentia et rebellio carnis nostræ, hinc belluinæ passionem. Sed quomobrem hæc zizania non evulsit Deus in baptismo, in quo ablui voluit cæteras nostras maculas, tam*

pœnas peccatis debitas, quam peccata ipsa? Cur zizania ista crescere in nobis passus est? Possem hic respondere cum apostolo ad Rom. IX. *Ohomo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic?* Potuisset quidem facere Deus, ut una cum peccatis nostris suffocaretur in baptismo etiam concupiscentia cum suis fœtibus, passionibus, adeoque zizania hæc quamprimum evellere. Sed voluit hunc favorem ad futuram vitam differre, nec sine magnis causis reliquit interim in nobis hæc zizania, quas nunc audiemus.

I. Causa prima est, ut fel peccati a primis nostris parentibus admissi ex his ejus reliquiis degustaremus. Concupiscentia enim est appetitus inordinatus rerum caducarum et terrenarum, partim in intellectu situs, qualis est curiositas, vanitas, instans superbia; partim in voluntate, uti cupiditas honoris, gloriæ, opum, deliciarum; partim ac potissimum in appetitu sensitivo, uti libido et gula. Porro ante peccatum cohibuit hunc appetitum justitia originalis, qua velut aureo freno, ob peccatum Adami, subtracta cœpit rebellari et dominari appetitus ille contra ordinem rationis, ideoque factus est homo, quasi centaurus quidam, ut docet Clemens Alexandrinus, lib. IV. strom. ejus supra pars homini, infera vero equo similis fingeatur a poetis. Ergo ut intelligeremus hanc naturæ deformitatem, miseriam, et languorem a peccato parentum nostrorum ortum, voluit eum Deus relinquere in nobis, ut inde argumentaremur, quanta peccati malitia et amaritudo sit, cujus reliquiæ tam molestæ et onerosæ sunt. Porro in hoc non justitiam tantum, verum et misericordiam suam nobis ostendit; misericordiam quidem in eo, quod malum illud, quod vere malum erat, nobisque portas paradisi ocludebat, evulsit et extirpavit; justitiam vero in eo, quod quosdam veluti stimulos et aculeos vulnerum sanatorum, ac pruritus aliquos plagarum concretarum in nobis reliquit, ut videlicet signa et memorialia quædam essent peccati nostri. Purgavit ergo Deus in baptismo partem et quasi contignationem animæ superiorem, eamque fortitudine ac pulchritudine sua semel deperdita rursus exornavit: non item inferiorem, in qua reliquit rebellionem aliquas, quas tamen Dei gratia adjuvante facile possemus vincere. Contrivit serpentis caput, in quo omnis veneni et interneccionis fons scaturiebat, reliquit autem truncum corporis, et caudam, quæ se movere potest et molestias creare, non tamen nocere aut venenare, nisi nos ipsi velimus. Pulchre S. Augustinus, in Psal. LXIV. ait: « Primo concupiscentia carnis sequentes

duxit nos. Postea renitentes traxit nos, deinde accepta gratia cœpit nos nec ducere nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum; post contentionem erit et victoria, modo, etsi oppugnat, non expugnet.

II. Secunda est ad nos humiliandos et continendos intra limites modestiæ. Etenim si maledictione illa liberati, nullum penitus aculeum aut spinam sentiremus, facile istius beneficii obliti, nostris viribus adscriberemus, quod divinæ gratiæ est. Certe S. Paulus cæteroqui ingentia gratiarum dona obtinuit a Deo, hanc tamen obtinere non potuit, ut stimulum carnis a concupiscentia prodeuntem non persentisceret. Sic enim scribit II. Corinth. XII. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me; et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Ergo si absque hoc stimulo fuisset, facile in superbiam elatus Paulus fuisset, adeoque præcipitatus. « Hic monitor, ait Sanctus Hieron. in epist. XXV. ad Paulam de obitu Blesillæ, Paulo datus est ad premendam superbiam, uti in curru triumphali triumphanti datur monitor suggerens: *Hominem te esse memento.* » Ita summo pontifici, cum inauguratur, stупpa accensa, moxque extincta, accinitur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi.* Fuit autem stimulus ille, carnis rebellio et inflammatio ex turpium cogitationum objectu prognata, quæ pudorem et verecundiam Paulo injiciebat. Unde comparat eam colaphis sibi impactis, qui pudorem et ignominiam afferunt. Hinc ergo Paulus infirmitatis suæ memor, statim se colligebat inter honores et favores divinos consistens, ac cogitabat, quam iis ex se indignus esset, et quam facile in barathrum gravissimi sceleris a propria concupiscentia impelli posset, si Dei gratia destitutus sibimet relinqueretur. Neque indignus tanto viro fuit in statu naturæ lapsæ stimulus ille, sed perutilis. Sapientissimo enim Dei consilio electi inter raptus et elevationes aliasque gratiarum prærogativas hinc inde inter infirmitates et depressiones jam in altum elati, jam quasi in abyssum demersi, ancipites librantur, ne vel in superbiam, vel in desperationem corruant, sed media inter utrumque via recta in cœlum gradientur. Hinc etiam alii sancti tametsi jam senes conquesti sunt, se hoc stimulo infestari, uti S. Gregorius Nazianzenus, ep. XCVI. et in carmine de carne sua.

III. Tertia in exercitium nostrum et materiam certaminis, sive ad agonem, ut ait Concilium Tridentinum, sess. V. Non adeo feliciter primis nostris parentibus cessit quies illa, qua ob jus-

titiam originalem, sine pugna et conflictu gaudebant; siquidem ob superbiam, qua in pace vivebant, ab hoste superati sunt. Expediit proinde filiis eorum ut non solum externis, sed domesticis etiam hostibus subinde exagitentur, ne otio diffuant, sed continuo in armis stent, et ad Deum pro auxilio identidem recurrant frequenti oratione. Noluit Deus olim exterminare e Chanaanæa omnes gentiles simul et uno anno, tum ne magna terræ pars redigeretur in solitudinem, indeque feræ belluæ multiplicarentur, ut dicitur Exodi XXIII. et Deuteron. VII. tum ne Israelitæ otio torperet; luxu, idololatria et gentiliū societate corrumpentur, sed potius in hostibus erudirentur, discerentque Deum colere metu hostium, et victoriam ab eo quærere ac sperare, ut habetur Judic. III. Sic olim Cato vetuit et deleri Carthaginem urbem hostilem et bellicosam, ut esset Romanis eos virtutis et jure armorum exercitium ne otio torperet. Pari modo noluit Deus in baptismo delere omnes hostes nostros: quia forte alia insurgent infensiora vitia superbiæ, et quæ otium gignit in eo, qui non habet inimicos, a quibus impugnetur. Eodem fine remanserunt in mundo diaboli, improbi in rebus, imperfecti in religionibus, ut bonos nimirum exerceant; humilitatem et sanctitatem eminere faciant, sicque Ecclesiæ perfectio, juxta contrarium suum posita magis elucescat. Gravissime igitur errant, qui post concupiscentias suas eunt, fœdus et amicitiam cum eis ineunt; siquidem pugnare potius cum eis irreconciliabili bello debent.

IV. Quarta ad meritum et coronam nostram. Alexander Magnus validos et fortes optabat sibi hostes, ut in iis debellandis gloriam sibi parare posset; unde quoties patrem suum urbem aliquam aut provinciam cepisse intellexisset, indignari solitus fuit, quasi nihil hostium reliquum sibi fieret, indeque crebro dictabat malle se hæreditatem magni alicujus et periculosi belli a patre sibi legari, in quo fortiter præliando laudem et victoriam adipisceretur, quam nescio quid thesaurorum et deliciarum relinqui, Plut. in Alexandro. Ac nisi hostes fuissent, triumphum Romanorum imperatorum nulli quoque fuissent. Jam vero concupiscentia hostis noster juratus est, tanto validior, quanto conjunctior. Potuit Alexander, potuit Hercules, alique strenui duces debellare hostes suos; sed interim a passionibus suis turpiter victi sunt: unica carnis titillatione, unica ebrietate, unica iracundia ab æquo animique potestate dejecti sunt et turpia designarunt facinora. Sane Cicero, in orat. pro Marcello plus laudis et ornamenti accessisse ait Julio Cæ-